



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ephemerologivm Ecclesiastio-Rubricisticum Novum**

**Halden, Johann Baptist**

**Brixinæ, 1717**

§. V. Propria Missarum Solemnum pro Defunctis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39937**

3. Si quis longè à Nobis absens moriatur, potest, si proxime obièrit, *Missæ de Requiem* die non impedito pro eo dici primâ vice ut supra in die *Tertio Depositionis*, omisso tamen Verbo: *Tertium*. Gav. To. 1. P. 4. Tit. 18. n. 15.

4. Quando omisso *Sacrò funebri* celebratur *Festivum fori* pro *Defuncto*, non est opus, ut collecta, seu Oratio funebri inferatur, etiam *presente Corpore*; imò ne licere quidem id in *Duplicibus*, contra Navarum docent Gavantus & Fraxinellus apud P. Gob. in *Alphab. Sacrif.* (quod est Tr. 3. To. 1.) n. 625. eò quòd Rubricæ non permittant ijs diebus (si non sit facienda aliqua *Commemoratio*) plures *Orationes*, nisi pro *Re gravi*: unde qui ordinariè id factitaret, censureretur inducere novum Ritum contra *Prohibitionem* Clem. VIII. in *Bulla Missali* præfixa. Ex quo fundamento apud P. Lohner citatus Gob. P. 3. cit. n. 626. etiam reprobatur Praxin illorum, qui in omnibus *duplicibus* per annum *Orationi* de *Festo* collectam pro *Defunctis* eo fine subjungunt, ut obtineant *Indulgentias* in *Suffragium* animarum à Gregorio XIII. ipsis Concessas, si ad *Altare* privilegatum collectam pro *Defunctis* dicant: Cui resolutioni Gobatianæ haud obscure favet *Decretum Sac. Rit. Congreg.* de anno 1627. 24. April. apud Gerlac. *Vinit. P. 1. Tit. 5. Annot. 3.*

uti & Clementis X. aliæque superius relata. Addit tamen citatus Gob. n. 628. si in aliqua Ecclesia legitime introducta sit *Consuetudo*, ut in *Dominicis*, ac *Festis non Sacramentalibus* *presente Corpore* collecta pro *Defunctis* inferatur (prout *Constitutiones Synodales* *Dioecesis Constantiensis* P. 1. Tit. 9. n. 12. permittunt) posse eam *Permissionem* ob suam *Antiquitatem*, ac *Circumstantiæ* considerabilissimam *usurpari*.

## S. V.

## Propria Missarum Solennium pro Defunctis.

PRÆTER superius jam annotata hęc Titulo s. 2. & 3. observanda in harum celebratione sunt insuper sequentia:

1. Quodcumque sit *Missæ* pro *Defunctis* *solenniter*, dicitur tantum *Oratio*, etiam extra *diem Depositionis*, *diem Tertium*, *Septimum*, *Trigesimum*, & *Anniversarium*. Dicitur *solenniter*, id est, cum *Apparatu*; ne pugnet *Rubrica* contra *Rubricam*, uti fieret, si *Nomine Missæ* *solenniter* etiam veniret *Conventualis*, quæ iuxta *Rubr. Gener. V. Missalis* n. 1. & 2. statutis *Temporibus primæ hebdomæ*, aut *Feriâ II. Hebdomæ* non impeditis *Officiò* 9. *Lectionum*, celebrari debet; in hac enim dicitur



bent tres Orationes, ut in Missali suo loco.

2. In Missa solemnâ de Requiem non incensatur Altare, nisi ad Oblata post horum Incensationem, nec quidquam aliud, nisi solus Celebrans. Rubr. Missal.

3. Subdiaconus non osculatur manum celebrantis, nec benedicitur, neque tenet Patenam, neque desert Librum osculandum celebranti; ministrat tamen isti, cum incensat, & manus lavar; dum autem Sacramentum elevatur, ipsemet hoc incensat.

4. Diaconus non petit Benedictionem, nec osculatur celebrantis manum, nec incensat Librum, nec celebrantem in fine Evangelij.

5. Acolythi non portant Luminaria ad Evangelium, neque Thuribulum; tenent tamen, ut auras, medium Subdiaconum sustentent Librum Evangeliorum.

6. Nullus Ministrorum, cum aliquid porrigit celebranti, ejus manum, aut Rem, quam porrigit, osculatur.

7. In Choro genuflectunt omnes ad Confessionem, ad Orationes, & dicto per Celebrantem Sanctus usque ad Pax Domini, & ad Orationes post Communionem: in reliquis sedent, aut stant, ut in alijs Missis.

8. Si distribuendæ sint Can-

delæ (quæ deberent esse ex cera Comuni, seu flava, nisi ut apud P. de Portu P. 3. c. 6. f. 350. in adnot. ad Rubr. 3. animadvertit Castaldus, Voluntas Hæredum, aut Eorum, ad quos spectat, magis inclinaret in ceram albam) distribuendæ sunt clero post Epistolam, ita tamen tempestive, ut omnes sint accensæ Tempore debito, nempe ad Evangelium, ab hujus principio usque ad finem ejus; item ad Elevationem SS. Sacramenti, usque ad Communionem inclusive; ac denique post Missam, dum fit Absolutio.

### §. VI.

#### De Sermone habendo, ac faciendâ Absolutione circa Feretrum, aut Castrum Doloris.

1. **S**I habendus est Sermo, habeatur finitâ Missâ ante Absolutionem, ante ipsum verò celebrans depositâ Planetâ, & Manipulô (quem cum eo etiam Ministri deponunt) induit Pluviale, vel cum Stola remanet in Albis, at Pulpitum nigro pannô Cooperitur. Concionator autem non petit Benedictionem, nec recitat Orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam; bene tamen facit sibi imprimendo signum S. Crucis, P. à Portu, & Alij apud ipsum loc. cit.

[[ O o 2 ]]

2. Si